quæ ego facio, ipſe faciet, & majora eorum faciet ad quos Petri umbra ſe extendebat, ſanabantur, quod à Chriſto factum non legimus, ſunt tamen multi D. Vinc. Ferrera. apud D. Vincentium Ferrera ſerm. in Paraſce. qui exiſtimat. *Ideo unum dumtaxat latronem, qui à dextris erat Chriſti crucifixi, fuiſſe converſum; quia* *Ab umbra Chriſti retro convertitur.* *ipſum ſolum tangebat umbra Chriſti crucifixi.* Non ille alter crucifixus talem gratiam accepit, ſed ille feliciſſimus latro, quem Chriſtus obumbrat, ita ex Sancto Vincentio tranſcribit Cornelius, ideo ille jam futurus paradiſi præmaturus incola, delibans ex Chriſti umbra, redemptricis gratiæ exuberantes copiosè primitias; *quia ipſum ſolum tangebat umbra Chriſti crucifixi*, ex cujus umbra multam viriditatem, ac florentem gratiarum largitatem Eccleſia D. Ambr. *Gratia Chriſti in Apoſtolis vivida, & florida.* hauſit, ut ſcribit D. Ambroſ. lib. 3. Hexameron. alludens ad D. Petrum. Hanc viriditatem gratiæ ſemper florentis in Chriſto, ſecuta Eccleſia dicit: *In umbra ejus concupivi, & ſedi.* Cantic. 2. *Hanc prærogativam doni virentis acceperunt, & Apoſtoli, quorum nec folium unquam potuit elabi, ut eorum etiam umbra curaret ægrotos, obumbrabat enim infirmitati corporis, fides mentis.*

99. Tertio: Hæc gratia peculiariter conceſſa eſt Petro, ut umbra ſanaret, ut principalis, atque omnium caput Apoſtolorum, & ut erat meritis inſignis inter omnes, ſic eſſet donis, & gratiis primus omnium in terris, ac inter omnes, Chriſti Divinitatem per æternam generationem confitetur: *Tu es* Matth. 16. *Chriſtus Filius Dei vivi.* Matth. 16. num. 16. Apoſtolus Paulus ut agnoſceret Dei arcana *raptus eſt uſ-* 2. Cor. 12. *que ad tertium Cœlum.* Corinth. 2. cap. 12. num. Joan. 13. 2. Joannes, ut penetraret alta Sacramenta: *In Cœna Domini recubuit ſupra pectus* Joan. 13. num. 23. Thomas, ut Chriſti Divinitatem percipiat, *manum* Joan. 26. *in latus ejus mittit.* Joan. 20. num. 27. Petrus verò *Altiſſima D. Petri cognitio.* tam ſublimi, &, alto lumine eſt repletus, ut quod Paulus in tertio Cœlo, Joannes in Chriſti pectore, Thomas in ejus latere agnoverunt, ipſe in terris, & inter homines degens introſpexit, ac ſequitur, & alta voce confitetur, & publicat. *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi*, & cum recognoſcit Filium Dei vivi, ejus Divinam generationem profitetur; generatio enim propria viventis actio eſt.

100. Si tanta extitit Petri ſcientia, etiam eximia fuit Petri charitas, & amor in Chriſtum: Dixit enim Joan. 13. ipſe Dominus proximus paſſioni Joan 13. num. 26. Petro interroganti, Domine, quo vadis? *Reſpondit Jeſus: quo ego vado non potes me modo ſequi, dicit ei Petrus, quare non poſſum te modo ſequi? animam pro te ponam.* Cujus generoſam audaciam reprehen- D. Auguſt. dit Chriſtus, ut merito notat D. Auguſt. tract. 66. *Petri amor veluti antecedens Chriſti amorem.* in Joan. & ait: *Inſultando quaſi dicat: Ita ne facias pro me, quod ego nondum feci pro te.* Ita eximius amor Chriſti in hoc apparuit, quod ipſe vitam pro nobis dederit, veluti, videtur, quod cum hoc amore Chriſti intendit Petri amor contendere, ut prius vellet pro Chriſto animam ponere, quam Chriſtus in ara Crucis emiſiſſet, & ideo de hoc primatu reprehenditur, cum poſt mortem Chriſti ſequelam per Crucem ei denuntiatur.

101. Ex his conſidera ad quantam elevatus ſit Petrus Pſal. 14. ſublimitatem: ait Regius Vates. Pſalm. 144. nu. 3. *Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magni-* *Domini magnificentia per manus Petri diſpenſatur.* *tudinis ejus non eſt finis.* In miſerendo, benefaciendo, ac largiendo, hanc tamen magnitudinem, ac magnificentiam coarctat, ac determinat, ut per manus Petri diſtribuatur, ac diſpenſetur, dicit enim ei Chriſtus: *Tibi dabo claves Regni Cœlorum, & quodcumque ligaveris, &c.* Ad quæ verba ſic eleganter D. Ambr. ait D. Ambroſ. lib. 3. de fide: *Videte diſtantiam; ſervus aperit, Dominus largitur, iſte per ſe, ille per Chriſtum, famulus claves accipit, Dominus ordinat poteſtates, aliud jus donantis, aliud diſpenſantis obſequium eſt.* Ut Dominus concedat ex ordinatione Divina exigitur, ut ſervus aperiat.

QUÆSTIO XV.

Quare tempore Chriſti, ac Apoſtolorum, tot, & tanti homines erant poſſeſſi à Dæmone?

Valde frequens eſt in toto libro Evangeliorum, 102. ac in hoc Actorum mentio Energumenorum, *Cur Energumeni.* ſeu poſſeſſorum à Dæmone, multo magis frequentior, quam in veteri teſtamento, ac quocumque alio tempore, ut conſtat ex hoc libro. Dicuntur autem Energumeni à voce græca, id eſt Exercitati à Dæmone invadente, & poſſidente.

Reſpondetur primo ad quæſtionem: Tempore 103. Chriſti, atque Apoſtolorum vigebat multum hære- *Extirpatur, error Sadducæorum.* ſis Sadducæorum, qui conſtanter affirmabant non dari Spiritus, nec Angelos Actor. 23. num. 8. ad hunc ergo errorem eradicandum, atque extirpandum permanſit Deus tot, & tantos homines à Diabolico ſpiritu poſſideri, & vexari, & per os hominis loqui, perque manus, & pedes ejus multas extraordinarias agere actiones, ita ut duo habentes Dæmonia *habitantes in monumentis ſævi nimis, ita ut nemo poſſet tranſire per viam illam.* Matth. 8. n. 28. Matth. 8.

104. Secundo Pharizæi Chriſtum calumniantes frequenter blaſphemabant, & dicebant illum Dæmonium habere, *Quod in Beelzebub principe Dæmonio-* *Oſtenditur Chriſti imperium in Dæmones.* *rum ejicit Dæmonia* Luc 11. num. 15. Eorum falſus error manifeſte reprehenditur ex ſumma poteſtate Chriſti, qua Dæmonibus imperabat, & quia, ut Luc. 11. ipſe Dominus argumentabatur: *Si Satanas in ſe ipſum diviſus eſt, quomodo ſtabit regnum ejus?* citato loco num. 18. & ipſi Dæmones multa tormenta à Chriſto patiebantur, & aliquando *Exclamaverunt dicentes: quid nobis, & tibi Jeſu Fili Dei? veniſti huc ante tempus torquere nos.* Matth 8. n. 29. Math 8.

105. Et ſequenti num. 30. poſtulant facultatem à Chriſto, ut ingrediantur in gregem porcorum, & inde *Cur immundi ſpiritus.* dicuntur ſpiritus immundi, quia immundorum ſpecies ſumunt animalium, ut porcorum, aſinorum, hircorum atque ſimilium, & quia etiam ad immunda excitant, atque provocant, ut ad venerem gulam, ebrietatem, rapinam, & latrocinia, ac ſimilia. Quod autem peccator ſit tamquam jumentum, ac pecus, multa dixi in omnibus meis libris in Sybillario, verbo Peccator.

106. Hanc poteſtatem ejiciendi Dæmonia, dedit Deus Marc. 16. Eccleſiæ ſuæ: *In nomine meo Dæmonia ejicient.* Marc. *Eadem poteſtas in Eccleſia.* 16. num. 17. & hæc eſt una eminens ex multis poteſtas Eccleſiæ, ut patet ex continua, & longa experientia, ut objicit Gentilibus D. Juſtinianus dialogo contra Tryph. per exorciſma ab ipſa Eccleſia inſtituta. E contra vero cum Lutherus vellet ejicere Dæmonem à quodam homine Diabolus inſiluit in eum, & uſque ad extremas anguſtias redactus eſt, ut teſtantur Bredembachius lib. 7. collat. cap. 40. & cap. Bredem. 42. & 43. ubi habes plura exempla.

QUÆSTIO XVI.

Quare Deus permittit ut Diabolus ingrediatur in humanum corpus?

Prima ratio hujus rei eſt, ut notat D. Chryſoſto- 107. D. Chryſoſt. mus, ſuprema Dei providentia, cujus in inveſtigabiles ſunt viæ ejus: & etiam aliquando hoc Deus permittit

Homo per peccatum fit Diaboli domicilium. permittit ob propria peccata vel parentum, ſeu filiorum, præcipue ob lethalem, & gravem culpam, & etiam aliquando ob levem, & venialem quorum D. Greg. exempla referunt D. Gregorius lib. 1. Dialog. 4. Caſſian. Caſſian. collat. 7. cap. 27. Cæſarius lib. 5. miracu Lorin. lor. cap. 11. 12. 26. quæ late invenies apud Lorin. in præſenti.

108. 1. Reg. 19. Lib. 1. Reg. cap. 19. num. 9. dicitur: *Factus eſt* D. Baſil. *Spiritus Dei malus in Saule:* Ipſe repletus odio in- *Homo per peccatum vocat ad ſe diabolum.* vidiâ, homicidio ad ſe deſertiſſimum traxit diabolicum ſpiritum. D. Baſilius, Seleucus orat. 16. & ait: *Cum in talibus eſſet Saul, & cædem Davidis moliretur Dæmoni repentinum fit ipſe domicilium, morum perverſitate Dæmonem ad opus vocante, Anima enim, quæ virtute exuta improbitatem induerit, eum vocat ad habitationem qua malis affectibus gaudeat.*

109. Ille prodigus filius poſtquam diſceſſit à Patre, & abiit in regionem longinquam, & vivendo luxuriosè totam ſuam ſubſtantiam diſſipavit, in miſerabilem ſortem deveniens, ut ſibi provideret: *adhæſit uni civium regioni illius* Luc. 15. num. 15. Maximè in- Luc. 15. quirendum eſt quiſnam eſſet ille civis regionis lon- *Peccator Diaboli civitas.* ginquæ, in qua tot vitia ebidit vivendo luxuriosè? Pro certo habe Diabolum fuiſſe, qui in turpitudine morum ſuam ſedem, ac inhabitationem conſtituit. Aſterius in Catena Græca D. Luc. ait: *Ipſius Re-* Aſterius in Catena Græca D. Lucæ. *gionis a Deo remotæ, atque ſeparatæ incola eſt Diabolus. Etenim peccatorum civitas civem habet, & gubernatorem Diabolum.*

110. Luc. 8. Obtenta facultate à Chriſto Domino: *Exierunt Dæmonia ab homine, & intraverunt in porcos.* Luc. 8. num. 33. Cur D. Jeſus Dæmonum poſtulationi annuit, illique conceſſit introire in porcos? quia petierunt ingreſſum in porcos, & non in alia animalia? quia in porcorum moribus deditos ſuum do- Boſtren. micilium conſtituit. Titus Boſtren. in Catena Græca, & ait: *Eis Dominus conceſſit, ut oſtenderet porcos, vel porcina indole homines, & ad terram converſos, atque in peccatorum paſſionibus volutantes, dæmonum amicos eſſe; quiſquis igitur porcus eſt moribus Dæmonum fit hoſpitium.*

Actor. 5. *n.* 17. Exurgens autem Princeps Sacerdotum, & omnes, qui cum illo erãt, (quæ eſt hæreſis Sadducæorum) repleti ſunt zelo.

Num. 18. Et injecerunt manus in Apoſtolos, & poſuerunt eos in cuſtodia.

Num 19. Angelus autem Domini per noctem aperiens januas carceris, & educens eos, dixit.

Num 20. Ite, & ſtantes loquimini in templo plebi omnia verba vitæ hujus.

Verſiones

CUM EXPOSITIONE VI.

111. Verſ. 17 *Exurgens autem Princeps Sacerdotum.* Caput nempe, ac primus Sacerdotum exurgens præ ira & furore im- Syrus. patiens: *quæ eſt hæreſis Sadducæorum* Syrus *proinde reple-* Arabic. *batur invidia ſummus Sacerdos.* Arabicus *In ſecta, & factione Sadducæorum.* Sadducæi crudeliter Apoſtolos perſequebãtur eo quod, ut ſæpe dictum eſt, prædicabant Chriſti Reſurrectionem, quam ipſi Sadducæi Lyran. pertinaciter negabant. Sadducæi, ut auctor eſt Lyranus, dicebãtur a verbo Hebræo *Sadoch* quod ſigni- *Sadducæi negabant Reſurrectionem.* ficat juſtitiam, quia ipſi Sadducæi in judiciis, ac punitionibus erant acerrimi, ac crudeliſſimi, ut patet ex hiſtoria. Innuit Textus Pontificem, ſicut, & cæteri de concilio fuiſſe Sadducæos. *Repleti ſunt zelo,* alia lectio *invidia* de quo quæſtione ſequenti.

Verſ. 18. *Et injecerunt manus in Apoſtolos.* Syrus 112. *Prehenſos obvinxerunt in carcere.* Æthiopic. *In ac-* Syrus. *mo vinculi.* Arabic. *Clauſerunt eos.* Rectè D. Chry- Æthiop. ſoſtomus. *Nihil imprudentius, neque audacius malitia*, quæ contra Sacros Apoſtolos, qui tantis vir- D. Chryſoſt. tutibus, ſignis, ac miraculis fulgebant, ſe audet opponere *In publica cuſtodia.* Græcus *Populari, & publica.* In qua, ut notat Lyranus, tenebantur ma- Græcus. lefactores, ut homicidæ, & latrones, ut pro majo- Lyra. ri ignominia tales reputarentur, & ut advertit Hu- Hugo. go: *Nobiliores ponebantur in carcere ſecreto, atque videlicet honoratiore, & commodiore.* Et non ſtatim adducuntur in judicium, ſed ad carcerem an forte zelus Apoſtolorum ſqualore carceris miteſceret, ut notat Oecumenius, & ait: *Ve ſute ancâ timoris carce-* Oecum. *ris factis pœnitentiam ab illis quærebant.*

Verſ. 19. *Angelus autem Domini per noctem* Dici- 113. tur Domini, ait Gloſſa Interlineal. ad differentiam Interlin. mali. *Per noctem* D. Chryſoſt. ait: *Non permiſit* D. Chryſoſt. *Deus hoc miraculum videri, ſicut neque Chriſtus converſionem aquæ in vinum, neque ſuam Reſurrectionem* forte ob majorem venerationem miraculorum, & quia nec omnes ſunt digni videndi illa & maximè in præſenti Angelum Domini. Panelion. apud Surium 29. Septembr. exiſtimat fuiſſe Sanctum Mi- Michael. chaëlem, Arator ait veniſſe Angelum multa cum Panel. luce coruſcantem. Arator.

Aperiens januas carceris. Syrus: *Reſeravit fores* 114. *carceris.* Græcus *Aperuit januam vinctorum.* Quæ- Syrus. dam Gloſſa; Rupert, Dionyſius, Gagæus, & alii Græcus. tenent, januas carceris non fuiſſe realiter apertas, Gloſſa. ſed per phantaſiam ita viſum fuiſſe, & Angelus eos Cartha. eduxiſſe per portas penetrativè, ut Chriſtus egreſſus eſt de ſepulchro clauſo penetrans lapidem: Tamen contraria ſententia tenenda eſt cum Lyrano; nam Lyran. revera Angelus aperuit carcerem ut tenent Syriacus, & Græcus; Angelus enim non poteſt quod unum Græcus. corpus penetret aliud, ac proinde ut Angelus aperiens januas carceris eos eduxit & iterum clauſit, ut Apoſtolorum egreſſus mirabilis, ac miraculoſus videretur.

Verſ 20. *Ite, & ſtantes*; ſtare proprium eſt juſto- 115. rum Sapient. 5. num 8 *ſtabunt juſti in magna con-* Sapient. *ſtantia.* Et notat D. Hieronym. in cap 2. Ezechiel. & in Jerem. cap. 4. & in Iſai. cap 47. In ſcriptura D. Hier. dicitur juſtum ſtare; nullus autem peccator in ea dicitur communiter ſtare: ſtare dicit fortitudinem, ac generoſitatem, quam juſtitia confert peccatum vero enervat, & frangit. *In templo*, portico nempe *Juſtitia dat fortitudinem, peccatum frangit.* Salomonis, ut ſupradictum eſt verſ 12. in quo frequenter Chriſtus prædicabat. Boni diſcipuli ſui magiſtri ſequuntur veſtigia, & in quo ipſi cœperunt prædicare: Juſtus à ſua ſalutari via, quam cœpit, non retrocedit, ſed perſiſtit. *Plebi*, id eſt omnibus; *Fecit Redemptionem plebis ſuæ.* Luc. 1. nu. 68. & 79. *Omnia verba vitæ hujus.* Syriacus *omnes ſermones* Luc. 1. *vitæ hujus*, Chriſtianæ, quæ ad æternam ducit. Syriac.

QUÆSTIO XVII.

Quare Principes Sacerdotum replentur zelo, non contra latrones, ac homicidas, ſed contra ſanctiſſimos Apoſtolos.

Ait Textus cum ſanctiſſimi Apoſtoli fulgerent 116. omni virtutum genere, magniſque miraculis, ita ut ex omnibus vicinis civitatibus ad eos addu- *Difficultas quæſtionis.* cerentur infirmi, qui curabantur, quod videns *Princeps Sacerdotum, & omnes, qui cum illo erant Sadducæi*

ducæi repleti ſunt zelo, Syriacus *Repleti ſunt invidia.* Arabicus *Pleni invidia*, D. Chryſoſt. *Pleni æmulatione.*

117. *Venenum invidiæ ſub pallio zeli.*

Iſti iniqui, peſſimique homines venenum ſuæ invidiæ,ac odii, pallio & tegumento zeli operire, ac palliare intendebant; ſi enim ipſi verum habuiſſent zelum inſurgerent in homicidas, latrones, ac divinæ legis prophanatores, ut fecit Mathathias, qui Judæum publice idolis ſacrificantem, *Inſiliens trucidavit eum ſuper Aram, & zelatus eſt legem* 1. Machab. 2. num. 24. at vero peſſimi iſti zelatores in Sacros Apoſtolos virtutum, ac miraculorum operatores inſaniebant. De his præclare ait D. Chryſolog. ſerm. 32. *Ad infamiam judicis, & nequitiam cognitoris, quæritur de cura crimen, de pietate accuſatio, reatus de virtute, de ſalute ſupplicium: ſed mirum non eſt: ſemper offendunt bonos mali, pia impios, ſancta prophanos, aut quando non laſcivus diſciplinam, virtutem vitioſus, innocentiam criminoſus accuſat.*

1. Mach. 2. D. Chryſoſt.

118. Rex Darius recognoſcens virtutem, & ſapientiam Danielis, conſtituit eum ſuper omnes Satrapas, quod illi ægre ferentes, ut Danielem caperent, malitioſe pro authoritate Regis fecerunt, ut ab eo conſtitueretur decretum,quod per triginta dies nullus auderet aliquid à quocumque Deo, & homine, niſi ab ipſo Rege petere, quod audiens Daniel januis apertis verſus Jeruſalem tribus vicibus orabat, quod cum Satrapæ obſervaſſent, de contempto decreto accuſarunt Danielem apud Regem, qui pro Daniele *poſuit cor ſuum, ut eum liberaret*, quod cum intellexiſſent viri illi, dicunt Regi: *Scito Rex, quia rex Medorum atque Perſarum eſt, ut omne decretum, quod conſtituerit Rex non liceat immutari.* Daniel. 6. num. 5. Iſti videntur pro lege pugnare non amore, & affectu legis, ſed invidiæ ſtimulo: Undè à Lyra dicuntur iſti *Invidi ſpeculatores.* Conſidera populorum Magiſtratum, Civitatum gubernatores, rectores hominum, quas agitant cauſas, atque inquirunt, eaſque ad examen vocant, non mercatorum fraudes, non piratarum latrocinia, non fœminarum laſciviam, ſed tantum ſanctam Danielis innocentiam, hanc accuſant, & in crimen vertunt, & legem pro Regis decore aſſumunt,ut juſtum,& ſanctum invidiæ gladio valeant perimere, ac perdere.

Pro lege pugnat fomentum invidiæ. Daniel.

119. *Invidia nullo ſigno, ac miraculo quieſcit.* Math. 4.

Ecce quam crudelis, & tenax eſt malorum invidia, & nullo virtutum genere, nulla ſignorum, ac miraculorum multitudine miteſcit, ac frangitur. Cum Chriſtus Dominus jejunaſſet quadraginta diebus, & noctibus, cum eſuriret accedens tentator ait illi: *Si Filius Dei es, dic, ut lapides iſti panes fiant.* Matth. 4 num. 3. Exiguam rem expoſcit inimicus, ut Chriſtus manifeſtetur: Quare ergo in tam parva petitione repellitur, quando Divinitatis declaratio in multis poterat eſſe valde proficua univerſo Orbi? Eleganter D. Cyprian ſerm. de jejun. ac tentat. & ait: *Nec opus erat, ut hoc facto inſidiatori innoteſceret, quia nullo ſigno ejus poterat invidia commutari.*

D. Cypr.

120. Magna, & præclariſſima miracula facta ſunt in Reſurrectione Chriſti Matth. 28. num. 11. *Ecce quidam de cuſtodibus venerunt in civitatem, & nunciaverunt principibus Sacerdotum omnia, quæ facta fuerant, & congregati cum ſenioribus, Concilio accepto, pecuniam copioſam dederunt militibus, dicentes: Dicite: quia Diſcipuli ejus nocte venerunt, & furati ſunt eum.* Pecuniam præbent ad obſcuranda, & obtenebranda radiantia Reſurrectionis Signa: Ecce terra tremuit, Sol obſcuratur, lapides franguntur, monumenta aperiuntur, milites teſtificantur, centurio clamat: *Vere Filius Dei erat iſte*, & ſolum Judæorum immobilis perſiſtit invidia? D. Zeno lib. 2. ſerm. 6. ait: *Quia neſcit æternitas mori, aut Dominus poſt ſepulchrum, & ad Judæos remanſit ſola damnatæ voluntatis invidia: quia Dominum ne agnoſcere voluerunt.* Mors à Chriſto fugit, opprobria in gloriam converſa, vulnerum ſigna pro noſtra ſalute clamant, ſepulchrum non valuit Chriſtum retinere, ſola apud Judæos tenaciſſime eſt retenta invidia, & apud Judæos remanſit ſola damnatæ voluntatis invidia.

Matth. 28. *Tenaciſſima invidia nullo frangitur ſigno.* D. Zeno.

QUÆSTIO XVIII.

Quare Diabolus non valet liberare ſuos Veneficos à carcere, ut modo Angelus liberavit Apoſtolos?

121. ANgelus in præſenti liberavit Apoſtolos à carcere, ſicut in aliis locis, cur etiam Diabolus ſuos magos, ac veneficos à carcere non valet educere, ac ab omni pœna eximere,cum ſæpe hoc Diabolus eis promittat, ut pollicitus fuit cuidam inſigni venefico Ludovico de Lapenha,de quo facit mentionem Emmanuel de Valle de Incantationibus opuſcul. 1. ſect. 2. cap. 1. num. 3. Qui poſt ibi narrata iterum à Tribunali Sanctæ Inquiſitionis comprehenſus eſt,& in carcere Diabolus ei apparuit promittens ſe eum à carcere, atque ab omni pœna exẽpturum,quod minime præſtitit; ipſe enim in publico theatro fidei, ut relapſus ad ignem damnatus, & combuſtus eſt Eboræ. Quæſtio ergo eſt, cur ergo Dæmon ſua arte, & induſtria eos non poteſt liberare?

122. Reſpondeo primo: Non permittit Deus,ut Diabolus habeat eam præeminentiam, ac benevolentiam erga ſuos maleficos, ac veneficos, quam ipſe Deus Omnipotens habet cum ſuis juſtis,ac ſanctis, dum ad ſui gloriam eos eripit à carceribus, ac ab expectatione ſuorum inimicorum, ut fecit cum D. Petro Actor.

Deus in ſuos juſtos habet ſingularem favorem.

123. Secundo ob authoritatem, & decorem miniſtrorum Eccleſiæ, nam videretur Diabolus de eis eludere, ſi malefactores, ac iniquos eriperet de ejus manibus, cum ipſi miniſtri Eccleſiæ habeant poteſtatem ſuper Dæmones ad eos ejiciendos Marc. 3. num 14 Deinde cum ipſis à Deo data ſit poteſtas, ut quæcumque ligaverint in terra,ligata ſint in Cœlo Matth. 16 ac proinde à nullo, nec homine, nec Dæmone poſſent ſolvi, niſi tantum ab omnipotenti Deo

Auctoritas miniſtrorum Eccleſiæ ſuper diabolum. Marc. 3. Matth. 16

124. Tertio: Ut manifeſte appareat, quam falſus, ac mendax ſit Diabolus in ſuis promiſſionibus, quibus ſolum intendit homines decipere, ut hac experientia manifeſta omnes diſcant ei non credere, nec ejus dictis acquieſcere; cum ejus promiſſiones ſint vanæ, nec liberant à carcere, nec à pœna. Hanc ait Job. 41. num. 23. quod Satanas ingerit homines in mentem: *Æſtimabit abyſſum quaſi ſeneſcentem.* Hæc eſt ſerpentina Leviothani,ut omnem immenſitatem, ac amaritudinem laborum perſuadeat homini breviter ſeneſcere,ac hebetari. D. Gregor. lib. 34 Moral. ſic ait: *Abyſſum namque ſeneſcere æſtimat, qui terminari quandoquidem in ſuppliciis ſupernam animadverſionem putat.*

Diabolus ſuos decipit. Job. 41. D. Greg.

125. Quarto Deus judex juſtus non permittit, ut à Diabolo eripiantur, quia vult, ut ipſi iniqui puniantur, & debitas pœnas perſolvant pro ſuis iniquitatibus D. Bernard. ſerm. 11. in Pſalm. Qui habitat, ait: *Ubi malum flagellum quoque appropinquat, neceſſum eſt, ſemper enim malum pœna concomitatur.*

Peccatum ſecum adducit pœnam. D. Bern.

126. Ait Chriſtus Dominus ſuis diſcipulis Matth. 16. num. 6.

Intuemini, & cavete à fermento Pharizæorum. Per fermentum communis vox Interpretum intelligit malitiam. Et quæ combinatio inter unum, & alterum inter malitiam, & fermentum? Pulchre Tertullianus lib. 4. in Marcum ait: *Quia poſt fermentationem clibanus, vel furnus gehennæ ſequatur.* Ubi eſt fermentatio in maſſa, conſequens eſt ignis furnum,ſic peccatum ſtatim certiſſimum ſupplicium ſecum importat.

Math. 16. *Pœna concomitatur peccatum.* Tertul.

127. Ait Deus Ieremiæ 17. n. 1. *Peccatum Iudæ ſcriptum eſt ſtylo ferreo,ungue adamantino, & exaratũ ſuper latitudinem cordis.* Hanc ſcripturam mandat Deus exarari,tam duro & forti inſtrumento,ut nunquam deleatur,ſed ſemper exiſtens perſeveret, & hoc non in marmore, nec plumbi lamina; ſed in pectore peccatoris cœteris omnibus duriore. Et cur in corde? quia ibi extitit officina, ubi malitia peccati nata, ſimul cum ea peccati pœna concremata eſt; catenatim ſe habent peccatum, & ſuplicium, ad quod tendit tota hæc ſcriptura. D. Ambroſ. lib. 5. epiſt. 32. & ait: *Scripta eſt, Iuda, culpa tua graphio ferreo, & ungue adamantino ſcripta in pectore tuo; hoc eſt ſcripta unde proceſſit.*

Jerem. 17. D. Ambr.

Actor. 5. *n.* 21. Qui cum audiſſent intraverunt diluculo in templum & docebant. Adveniens autem Princeps Sacerdotum & qui cũ eo erant, convocaverunt Conciliũ,& omnes ſeniores filiorum Iſraël:& miſerunt ad carcerem, ut adducerentur.

Num. 22. Cum autem veniſſent miniſtri,& aperto carcere non inveniſſent illos, reverſi nuntiaverunt.

Num. 23. Dicentes: carcerem invenimus clauſum cum omni diligentia, cuſtodias ſtantes ante januas, aperientes autem neminem intus invenimus.

Num. 24. Vt autem audierunt hos ſermones magiſtratus tẽpli,& principes Sacerdotum,ambigebant de illis,quidnam fieret?

Verſiones.

CVM EXPOSITIONE VII.

Verſ. 21. QVi cum audiſſent. Verba, ſcilicet Angeli, & fervidâ obedientia, abſque eo, quod per aliqua civitatis loca ambularent. *Intraverunt diluculo*, Græcus: *ſub primum diluculi punctum.* Syrus *Tempore auroræ, vel tempore pulchritudinis*: valde enim pulcherrima eſt Aurora è vicino jam ſole radiante, avium cantu, eleganti camporum aſpectu,ſuavique florum odore. *In templum*: primo ad orandum, in omnibus actionibus noſtris præcedat oratio; deinde facto convenienti hominum concurſu ad prædicandum, ac docendum populum juxta Angeli mandatum.

Græcus. Syrus. *Aurora pulcherrima.*

128. *Adveniens autem Princeps Sacerdotum*, primus, & principalis *Convocaverunt Concilium*, Syrus *ſuos ſocios,& collegas* nẽpe inferiores Pontifices, & ſeniores filiorum Iſrael,à ſenioribus ductum eſt Senatũ, à ſenibus maturum eſt Concilium larga experientia; *miſerunt ad carcerem*, Syrus *In domum vinctorum.*

Syrus. Syrus.

129. Verſ. 22. *Cum autem aperto carcere.* Græcus: *cum carcerem aperuiſſent*, Syrus *aperuiſſent domum vinctorum.*

Græcus. Syrus.

130. Verſ. 23. *Dicentes carcerem invenimus clauſum*, Syrus *Clauſum caute* Arabicus *Obſeratum cum omni ſecuritate*, D. Chryſoſt. *Cum omni integritate*, & addunt *cuſtodias ſtantes ante januas*, id eſt, ait Lyranus *diligenter cuſtodientes*, tamquam ſi dicat,nõ exierunt per defectum clauſuræ, vel cuſtodiæ, & dicunt *neminem intus invenimus*: ergo virtute divina exierunt, quod miraculum ipſi miniſtri etiam inviti tenentur fateri; ex quo eos pungit Beda in præſenti, & ait: *Quid profane Iudæe cæca ſtimularis inſania, furantibus dicens Apoſtolis Dominum fuiſſe de monumento ſublatum; Dic ergo eoſdem Apoſtolos de carcere tuo clauſo, cujus furto credis ablatos.*

Syrus. Arabic. D. Chryſoſt. Lyran. Beda.

131. Verſ. 24. *Vt autem audierunt.* Arabicus: *Audivis his Sermonibus, Sacerdos, & Præfectus Templi admirati ſunt, demirati ſunt: quidnam hoc futurum eſſet.* D. Chryſoſt. *Princeps Sacerdotum, & Dux militiæ Templi.* Syriacus: *Obſtupeſcebant ſuper his*, Lucifer: *Hæſitabant de illis, quid illud eſſet*: Æthiop. *Procuratores Templi neſciebant, quid facerent.* Tigurina *Quidnam hoc ſibi vellet.* Vatablus *Quomodo hoc factum eſſet.* Pagninus *quidnam hoc futurum eſſet?* & omnes juxta ſuam depravatam malitiam in ſiniſtram partem rem interpretabantur: An cuſtodes carceris fuerint pecuniâ corrupti ad eum aperiendum, an aliqua vi occulta vel arte magica fuiſſet factum, ut Apollonius Thyanæus incarceratus Romæ à Domitiano ſubito eodem tempore Puteolis, ut teſtatur ejus diſcipulus Philoſtratus lib. 8. de ejus vita, multi de hoc dubitant,& dicunt factum amore Magiſtri,quod de Apoſtolis non poterat excogitari; cum ipſi eſſent alta voce in templo prædicantes.

Arabic. D. Chryſoſt. Lucifer. Æthiop. Tigurin. Pagnin. Philoſtr.

QUÆSTIO XIX.

Quare Sacri Apoſtoli valde diluculo tendunt in Templum?

132. AIt Textus: *Intraverunt diluculo in templum* Græcus habet *ſub primum diluculi punctum*, hoc eſt valde mane, matutinum tempus valde opportunum eſt ad orationem,& ideo ad eam Deo exhibendam Apoſtoli tali tempore ibant in templum, quod conſueverunt Patres antiqui Iob. 1. num. 5. *Conſurgens diluculo offerebat holocauſta.* Pſalm. 62. num. 2. *Deus meus ad te de luce vigilo.* Proverb. 11. num. 27. *Bene conſurgit diluculo qui quærit bona* & Proverb. 8. n. 17. *Mane vigilare.* Jerem. 25. n. 3. *De nocte conſurge.* Iſai. 26. n. 9. *Mane vigilabo ad te.* Amos 4. n. 4. *Offerte mane victimas veſtras*,& ſic multis aliis in locis.

Græcus. *Oratio matutina frequens.* Iob. 1. Pſal. 62. Prov. 11. Prov. 8. Ierem. 25. Amos 4.

133. Imo Gentiles, ut ſcribit Plato lib. 10. de legibus, tam Græci, quam Barbari adorabant ſolem, ſive Orientem, ſive occidentem tamquam Deum; unde Summus Pontifex Clemens lib. 2. conſtitut. cap. 24. rigide reprehendit Chriſtianos tardius ad Eccleſias adeuntes, cum Gentiles, & Judæi diluculo ſuas Synagogas frequentarent. Unde Sacri Apoſtoli in ſancta, & vera doctrina illuminati ab Spiritu Sancto intraverunt diluculo in templum ad orandum, ex quibus Sacræ Religiones didiſcerunt media nocte Deum laudare decantantes matutinum, juxta illud David: *Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi*: Pſalm. 118. n. 62 & illud *Media nocte Paulus, & Silas orantes laudabant Deum* Act. 16. n. 25.

Plato. Clemens Papa. Gentiles etiam. *Media nocte.* Pſal. 118. Actor. 16.

134. Matutinum tempus valde opportunum, ac commodum eſt ad orationem,in eoque offert homo Deo primitias ſui cordis, ac cogitationum, omniumque ſuarum actionum, ex quo matutinum tempus maxime eligebat David dicens: *Prævenerunt oculi mei ad te diluculo* Pſal. 118. n. 148. Tota ejus cogitatio,ac meditatio maxime ſe anticipabat, ut valde mane De mirabilia contemplaretur, ejus multa beneficia ſibi impenſa,pro eiſque multas perſolvebat gratias,cujus rei rationem præbet D. Ambroſ. in dictum Pſalm. arguens tepidos, & tarde exurgentes ſerm. 19. & ait *Grave eſt, ſi te otioſum in ſtratis radius Solis Orientis in verecundo pudore conveniat: & lux clara feriat oculos*

Cur matutinum tempus. D. Ambr. Pſal. 118.